AD

PERILLVSTREM ET EXCELLENTISSIMVM

DOMINVM

PETRVM NICOLAVM NOVIGARDIVM L. B. A GARTENBERG

SERENISS. ET POTENTISS. POLON. REGIS ELECT. SAXON.
CONSILIARIVM ET SVPREMVM METALLIFODINIS
FRIBERGENS. PRAEFECTVM

ODE

QVA PIVM GRATVMQVE ANIMVM PALAM
TESTARI VOLVIT

TANTO NOMINI

ADDICTISSIMVS

PAVLVS BERNARDI F. VIDALINVS
ISLANDVS

LIPSIAE
EX OFFICINA BREITKOPFIA
CIƆIƆCCLV.







aecenate atauis regibus edito
O longe melior dignior et coli,
Cui frontem decus et gloria nobilem
Circumdat propriis parta laboribus.
Heu! quam difficile eſt, quod TVA praeſtitit
Virtus, Pallados ac Pieridum domos
Spretis quiſquiliis ſcandere ad arduas!
Hoc eſt curriculo vincere Olympia
Certe maius opus, quam quod equus ferox
Aurigaeue leues perficiant minae.
Currentum remorae mille tenent pedes,
Aut fallens oculos vmbra trahit boni.
Nati patricio ſanguine ſaepius
Muſas deſpiciunt: aſt humili loco

Queis prodire dedit Parca timent diem,
Nec ſublime valent tollere lumina.
    Hunc ſi ſolicitat magna pecuniae
Vis, aut laetus ager, formaue virginis,
Ne perdat quod habet, quod cupit vnicum,
Deterret ſolidis a ſtudiis metus.
Illum praeſidiis ſi ſimul omnibus
Res anguſta domi nudat et opprimit,
Quid pugnare iuuat? fractus et impotens
Detrectat Clarii militiam dei.
    Qui quaeſtum ſequitur vel titulos leues,
Mercedem ante diem cum tulit, euehit
Se gaudetque datis officii immemor.
Qui non vana petit, ſed patriae decus
Auro carius et commoda publica,
Nec ſoli, vt pecudes, viuere vult ſibi:
Mens recti manet hunc conſcia praemium,
Quam poſtquam miſero corpore liberam
Diuinis animis iunxerit Atropos,
Aſt hic dignus erat, forte aliquis bonus
Dicat, quem melius ſidera ducerent,
Neu preſſum ſinerent tot mala perpeti.
    Plures nil, alii diſcere geſtiunt
Profectura parum; ſors aliis negat
Sudoris pretium, nec meritis fauet.
Paucos aequus amat Iupiter et piis
Miſcet coelicolis; munera parcius
In terra ſapiens diſtribuit ſuis.

A doctrinae adytis haec populum sacris
Arcent: nam stolidi nil bene sentiunt
Prae lucri illecebris atque libidinum:
Sed fortuna fere sternit humi probos:
Quam siquis superat, rebus, vt Hercules,
Humanis merito creditur altior.

Victorem properat cingere frondibus,
GARTEMBERGI amor et deliciae deûm,
TE Daphne: properat Calliope nouo
Laudes, ecce! TVAS dicere carmine.

TE magnum Iouis, at me TVA gratia
Felicem faciet. Quae TIBI ludere
Indocti gracilis fistula nititur
Si non displiceant, inque clientibus
Si TANTI numerer vel minimus VIRI;
Quamuis hoc fugiant pulcrae ederae caput,
Quamuis cuncta inopem destituant: erit
Hic ingens honor, hae diuitiae mihi.

